

aut in ultima pagina¹⁾, quod vero ter per merum errorem omisit versiculum²⁾, quis hoc mirabitur? explicatione duo tantum loci indigent. Eum. 387 enim dimidium versum τανηλίωι λάμπαι δυσοδοπαίπαλα ita supplevit diorthota, ut a dextra exciperet antecedentia, cinxitque versum scholiis. at hercle ex ipsa hac dispositione, fideliter nimirum expresso exemplari, colligitur omisisse scribam quae crederet scholium esse. denique tres versus Ag. 110—112 scriba omisit spatio vacuo duorum versuum relicto, supplevit diorthota. quod facere scriba nullo pacto poterat, nisi sciebat lacunam esse. quis vero crediderit spatium in exemplari fuisse vacuum, unum scilicet in magna lacunarum frequentia, ac deinde diorthotae successisse ut codicem integrum adipisceretur. at constans inde a Philodemi chartis usus est scribarum, ut omissa in margine aut superiore aut inferiore suppleant, suo autem loco adscribant notam ἄνω vel κάτω, nec mutatur usus, si pro vocabulis illis signa pinguntur. ergo scriba lacunam esse signo monitus perspiciebat, versus autem a scholiis distinguere non ausus spatium reliquit a diorthota explendum. haec igitur scrupulum nullum relinquunt. nec aliter in argumentis ex parte a diorthota suppletis. scriba enim in Prometheo quidem et Persis argumentum una cum textu descripsit, in Septem ducibus titulo ὑπόθεσις τῶν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας perscripto spatium reliquit vacuum, quod cum non sufficeret, diorthota argumentum in margine inferiore collocavit; in Eumenisin spatium sufficiebat; Agamemnonis argumentum scriba omnino neglexerat, supplevit diorthota in margine; Supplicum aut nullum erat in exemplari, aut neglectum est etiam a diorthota. ceterum consimilia in Euripidis codice Laur. 32, 2 accidisse olim docui (Anal. Eurip. 3).

Per saecula XI—XIII codex intactus mansit; sed saec. XIV et XV per triadem haud pauca a compluribus lectoribus novata sunt in textu, additis etiam brevibus scholiis. ad nos quidem nihil attinet has manus distinguere, quod Rostagno conatus est: omnia enim sumpta sunt e memoria codicum aliorum, quam a testibus et antiquioribus et locupletioribus accipimus. itaque sine ullo veritatis detrimento haec omnia poterant omitti; recepi autem, signo m addito, ut liquido appareret (quod Dindorfius ipse perspexerat), Laurentianum in his lectionibus scholiisque pendere a codd. recc. quae vero ratio, quae ars est eorum, qui codices illos omnino abiciunt, excerpta

¹⁾ Pers. 920. Ag. 1067. Sept. 196; hunc diorthota supplere oblitus est.

²⁾ Pers. 39. 391. Prom. 818.